suis. noua et uetera proferunt. Genę illius sicut areola
aromatum. In genis saluatoris nostri. modestia eiusque pietas
simul et seueritas exprimitur. In areola aromatum. uirtu-
tis et dulcedo. et fama glorię eius designatur. Consitę a pig-
mentariis. i. a prophetis et apostolis diuulgatę. illi futura incarnatio-
nis eius archana. illi futura narrant. Labra illius lilia stil-
lantia myrram primam. Labra illius. uerba sunt doctrinę.
lilia. quę claritatem regni cęlestis ostendunt. Distillantia mir-
ram primam: quia per continentiam uoluptatum presentium.
ad hanc perueniendum esse predicat. Manus illius. manus
i. opera. quia quę uerbis docuit. opere compleuit. Tornatiles
aureę. quia in se regulam iustitię tenent. qua dicit oportet
me omnem iustitiam implere. Tornatiles sunt manus
et aureę. quia omnia quę gessit in homine. diuinitatis
gratia perfecit. Plenę iacinctis. quia ad spem nos cęlestium. atque
ad amorem excitat. quę iacinctus aerii coloris gemma est.
Venter eius eburneus. distinctus saphiris. Venter ergo di-
lecti. fragilitatem humanitatis eius designat. Eburneus.
decore castitatis. Saphirus sublimitatem cęlestium uirtu-
tum. distinctus saphiris. quia partim humana fragili-
tas. esurie. temptatione. fatigatione. morte. partim diuina
celsitudo. miraculis. resurrectione. et ascensionis glorię. intel-
ligitur. Crura illius columnę marmoreę. Crurum uo-
cabulo. itinera incarnationis Christi insinuantur. quę
columnis marmoreis. propter infirmitatem et rectitu-
dinem comparantur. Quę firmatę sunt super bases aureas.

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. A 94.2, 15r – Aelredus Rievallensis, Compendium speculi caritatis; Alcuinus, Compendium in cantica canticorum (https://fragmentarium.ms/view/page/F-it7i/5150/49308)